



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Aprilem, Majum, Junium

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 14. Alia teporis signa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60514)

Junius;

Non est minoratio in salute ipsius. *Ecc.*

39. 23.

Qui calorem fidei non habet, tolerabilius ei fuisset, fidem non accepisse, quam neglexisse. *S. Ambros.*

DIES XIV.

Alia Teporis Signa.

I.

Quartum teporis signum est consuetudo, potissimam actionum suarum partem sine consideratione, & intentione peragendi; sed potius proprio placito, vel quodam animi motu, vel ex usu, vel hominum respectu, aut alio philautiae instinctu; adeo, ut si tepidae istae animae consilium scrutari, & actiones suas, quin sibi met blandiantur, discutere velint, deprehensuræ sint, se nullum ferè opus facere, quod purè dirigatur ad Deum, & cuius ipse unicum incitamentum sit, & scopus; & ubi inanis gloriolæ desiderium, propriique commodi, aut genij consecratio, meliorem sibi partem non vendicent. Eheu! quanto terrore anima tepida obruetur! quantusque etiam mihi forsan in mortis articulo injicietur, ubi, cum mihi

mul.

multum laborasse videbar, effecisse nihil, ^{Junius.}
cognovero; idcirco quod omnes actiones,
quarum Deus finis non est, nihili habeantur,
quippe quæ ad felicem æternitatem
consequendam inutiles sunt.

II. Quintum teporis signum est negligentia virtutes Christianas acquirendi, immoderatas animi motiones impugnandi, & opera bona conditioni suæ propria peragendi. Hisce tribus comprehenduntur omnia, quæ Christiani officio, ut ita loquar, innata sunt, ejusque præcipuum studium esse debent; & nihilominus anima tepida penitus hæc negligit; ubi est cura ad virtutes Christianas, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, charitatem, mortificationem pertingendi? studetne hisce acquirendis anima tepori dedita? potestne dicere, se vel minimos in ijs progressus fecisse? ubi est cura impugnandi immoderatos animi sui affectus, eosque superandi, quantumvis hæc victoria ad acquirendas virtutes necessaria sit? ubi denique cura, bona opera conditioni suæ propria exercendi? quam inutilis, & otiosa sit vita hominis tepidi, ex eo manifestum est, quod obligationes etiam summè necessarias missas faciat.

Q

III. Sex-

Iunius.

III. Sextum teporis signum est neglectus minimorum, v. g. parvorum operum, levium defectuum, exigui in speciem momenti regularum; idcirco, quod nobis non persuadeamus, nihil parvum esse, quod tanto Deo placere, vel displicere potest.

Luc. 16. v. 10.

Cujus rei Christus ipse nos admonet: *qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est.* Et qui in his fidelis non est, nec in alijs erit: siquidem perfectio in plurium rerum modicarum congerie versatur: in rebus parvis semper esse fidelem, res parva non est. Non nisi magna pro Deo agere velle, idem est, ac nihil agere pro ipso velle: cum parvi sumus, possumusne quidquam magni pro Deo præstare? nihil magnum esse potest, nisi eatenus, quatenus ad Deum, studio eidem placendi, refertur. Heu me! an non socordia mea in rebus parvis evidens argumentum est, fervorem meum valdè esse modicum, & ignaviam meam supra modum grandem?

Confundere ob cæcitatem, qua hætenus laborasti, dum modica omnia, quæ Deo placere, vel displicere possunt, parvi, aut nihili fecisti.

Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est. Luc. 16. 10.

Non sunt contemnenda quasi parva, sine quibus magna constare non possunt, Hieron. Epist. 9.

DIES